

communi. Itaque nemo est qui dicere posset veraciter hæc est uxor mea, hic est maritus meus. Cum autem mulier filium vel filiam parit, ipsum vel ipsam dat uni illorum cui vult, cum quibus ipsa jam jacuit eumque vocat patrem suum. Tota terra posita est in communi, itaque nullus cum veritate dicere potest hæc vel illa pars terræ mea est. Domos tamen habent in speciali.<sup>1</sup> Ista gens pestifera est et nequam; ista gens comedit homines sicut nos boves, nam carnem humanam ita comedunt illic sicut hic carnes manzinæ<sup>2</sup> comeduntur, hæc tamen de se bona terra est. Nam magnam copiam carniū bladi et risi [habent], magnaue copia habetur illic de auro,<sup>3</sup> de lignis aloë, [de] ganfara,<sup>4</sup> de multisque aliis quæ ibi nascuntur.<sup>5</sup> Ad hanc insulam accedunt mercatores de longinquo portantes secum homines<sup>6</sup> vendentesque illos<sup>7</sup> infidelibus ipsis, quos cum emerent eos interficiunt<sup>8</sup> et comedunt, et sic de multis aliis et bonis et malis quæ non scribuntur. In hac eadem insula versus meridiem habetur aliud regnum nomine Sumolchra<sup>9</sup> in quo est una generatio gentis singularis signantis se ferro calido parvo bene in duodecim locis in facie. Et hoc faciunt tam homines quam mulieres. Hii semper gerunt bellum cum hiis qui vadunt nudi. In hac contrata est magna copia rerum. Penes quam est unum aliud regnum nomine Rotemgo<sup>10</sup> versus meridiem. Multa quæ non scribo nascuntur in illo regno.

21. *De optima insula Jauâ.*

Penes<sup>11</sup> hoc regnum est una magna insula nomine Jana,<sup>12</sup> quæ bene tribus millibus miliarium<sup>13</sup> circumdatur. Rex hujus Janæ habet bene sub se septem reges coronæ. Hæc insula multum bene habitatur. Et est melior insula que habeatur.<sup>14</sup> In ipsa enim nascuntur<sup>15</sup> cubebæ, melegetæ,<sup>16</sup> nucesque muscatæ, multæque aliæ species pretiosæ. In eâ est copia magna victualium preterquam vini. Rex istius insulæ unum habet palatium valde mirabile.<sup>17</sup> Nam ipsum est valde magnum,<sup>18</sup> cujus scalæ multum sunt magnæ altæ latæque: horum graduum unus est

<sup>1</sup> *Ven.* Domos tamen proprias habent; *Hak.* and *Mus.* speciales.

<sup>2</sup> *Far.* Porcinæ.

<sup>3</sup> *Boll.* amaraco instead of the preceding words.

<sup>4</sup> *Mus.* Ganfar.

<sup>5</sup> Here *Mus.* inserts Tamen gens pestifera est, etc., omitted before.

<sup>6</sup> *Ven.* infantes; *Hak.* homines pingues.

<sup>7</sup> *Ven.* more bestiarum; *Hak.* and *Mus.* sicut nos vendimus porcos.

<sup>8</sup> *Ven.* in macello; *Boll.* has this much shorter.

<sup>9</sup> *Ven.* and *Ram.* Sumoltra; *Far.* Simultam or Simultra; *Hak.* Sumolera; *Mus.* Simoltra sive Sumolara; *Boll.* Zumptloc (probably misread); *Marc.* Sumoltra.

<sup>10</sup> *Ven.* Bothonigo; *Far.* Betonigo; *Mus.* Boteingo et juxta illud aliud regnum de quo nihil scribo nec de hiis quæ ibi nascuntur; *Boll.* Resengo; *Ram.* Botterigo; *Hak.* omits this kingdom of Rotemgo, etc., altogether; *Marc.* Botemgo.

<sup>11</sup> *Ven.* Juxta.

<sup>12</sup> *Ven.* Java; *Hak.* and *Boll.* Jaua; *Far.* and *Mus.* have Jana; *Marc.* Java.

<sup>13</sup> *Ven.* Secunda melior insularum; *Far.* tertia melior; *Hak.* melior secunda; *Mus.* secunda melior....ut dicitur; *Bol.* est de melioribus Indiæ una.

<sup>14</sup> *Far.* tribus milliariis; *Hak.* cujus ambitus per mare bene trium miliarium, etc.

<sup>15</sup> *Ven.* has also camphora; *Far.* ganfora; *Hak.* has garyophylli, cubibæ et nuces muscatæ.

<sup>16</sup> *Mus.* et breviter omnes fere preciosæ species ibi sunt.

<sup>17</sup> *Boll.* quod multis impossibile videretur.

<sup>18</sup> *Hak.* and *Mus.* et altissime stat.